

palem tenuit sedem. Sufficiat vobis nunc obsecro, quæ de Beati Severi Vita audistis, ut de reliquorum gestis, Deo suffragante, fari valeamus, & ut vos cum desiderio magis, quam cum tædio legatis, & immensas Deo gratias agatis, qui est benedictus in secula. Sedit autem annos . . . . . menses . . . . . dies . . . . .

## CAPUT QUINTUM.

*Auctoris in vitam S. Severi meditationes.*

**S**ed quæso dilectissimi, ut curiosius intendatis, quantas Omnipotens Deus virtutes suis fidelibus tribuit, ut non solum vivi de carne, sed etiam mortui de ossibus obedirent, quia ipsa veritas, ait; *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicereis huic arbori moro eradicare, & transplantare in mare, obediret vobis.* Cur inter cæteras herbas granum solum sinapis interposuit? Granum igitur sinapis nisi teratur, illius virtus non agnoscitur; cum territum fuerit, statim ex eo fortitudo, & dulcedo procedit. Sic & Sancti cum ad martyrium pervenerunt, prudentia, & humilitas fortia tormenta sustentanda, & verba, vel prælia carnificum non timendo, vel tacendo (*aliqua desunt*). In mansuetudine omnes filios vocaret, quos ex Idolorum cultu pertraxerit Domino est genus martyrii, non tantundem esse videtur? Aliud palam omnibus, aliud in occulto. In publico martyrium est, ante Præfidentem deducitur, trahitur, cæditur, vulneratur, irridetur, subannatur, vinculis astringitur, vestibulo carceris traditur, & posthæc omnia capite necatur (1). Et martyr ille Christi nomen non negat. Occultum martyrium hominis in semetipsum, abstinere, jejunare, vigilare, à malis vitiis cavere, carnalia desideria renunciare, quod sibi non vult fieri, alteri non facere, nullam concupiscentiam seculi detinere, ex suis iusta operibus pauperum turbis elimoxinas erogare, ad incredulos, & infideles instanter prædicare, & à cæco errore eripere, & illis viam veritatis, & luminis demonstrare, juxta quod scriptum est; *estote prudentes in bono, & simplices in malo.* Rursus scriptum est; *estote prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ,* & si serpens prudens est, cui ipsa veritas per Salomonem dicit; *non est caput nequius super caput colubri,* & si prudens est, cur ergo scriptum est: *serpens erat callidior cunctis animantibus terræ?* Et si prudens, cur maledictus adeo est inter omnia animantia terræ? *Super pectus, & ventrem tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ?* Quare hoc? Quia subdixit hominem de prohibito pomo, cum mandere fecit. Ingressus est Diabolus in venenoso serpentis gutture, & Protoplastem de Paradiso expulit. Quare non super caudam, aut cum alio loco traderet, nisi supra pectus, & ventrem gradietur, & terram comedens cunctis diebus vitæ tuæ? Hoc est non ad coelestia elevas, sed terrena cœnosa coinquinamenta voluptatibus. Sed ideo sanctos prudentes, & sapientes Dominus docet esse, quia serpens quando ab aliquo percutitur, corpus tradit ad flagellandum, solummodo caput abscondit, sic, & sancti flagellantur corpore, & caput omnium nostram, quod est Christus, absconditur sub velamen cordis, & orationis. *Et simplices sicut columbæ.* Cum cæteræ aves fel habeant, hæc ab eo aliena est . . . . . omni amaritudine; sed dulce animal, mansueti avis;

A & immo columba nomen accepit à plausu alarum, unde percussio alarum apud Græcos *περιεσπιδονία* dicitur Launum columba interpretatur . . . . . multa desunt.

## OBSERVATIONES

AD VITAM

## SANCTI SEVERI.

De columbæ apparitione in electione Sanctorum Episcoporum, qui Severum præcessere.

Agnelli tempore S. Severi Acta desiderabantur. Translatio Corporum S.

B Severi, Vicentiæ, & Innocentiæ Moguntiam.

**I.** **N**otanda sunt in primis, quæ de S. Severi prodigiosa electione tradit Agnellus, ac ea præcipue; cujus Sacerdotium ab Omnipotenti Domino tantum prædestinatum fuit, ut illius electione Spiritus Sanctus missus fuisset in specie columbæ; quam omnis Populus viderunt corporalibus oculis, & super ejus caput requievit, unde & in proverbium &c. *Quæ quidem innuere videntur Auctorem hæc narrando intendere specialem explicare divinæ providentiæ modum, quo per columbæ speciem electionem Severi sibi gratam fore demonstravit. Eandem fuisse mentem apparet Luidolphi, qui exhibitus in altis Sanctorum Bollandianis ad diem primam Februarii, Monachum Ravennatem de S. Severo ita loquentem inducit; orante autem Populo ecce subito columba quædam desuper volitans super caput ipsius cunctis cernentibus confedit, quo quidem pro signo accipientes eum Sacerdotio dignum judicabant, illi verò indignè ferentes, quod tam vilibus vestimentis indutus inter primos Civitatis stare præsumpsisset, eum inhonestè, sicut ei uxor evenire optaverat, de Ecclesia exire compulerunt. Altera autem die in Ecclesia latitare volens etiam per columbam proditus sollicitabat corda intentantium. Tertia verò die, cum in Ecclesia positi aliquod signum præstolarentur, ille, qui non in facie, sed in corde videt, & judicat, quasi duritiam illorum increpans, eum sicut prius per columbam Sacerdotio dignum palam omnibus demonstravit. Vitam descriptam censent doctissimi Collectores post annum DCCCXVI., quo Agarenorum insultus Classi accidit juxta Rubicum, ac proinde post scriptum ab Agnello Librum Pontificalem. Hæc autem videntur conficere nono seculo ad finem procedente id peculiare Ravennæ adscriptum S. Severo, quod posterioribus temporibus commune creditum est omnium eorum, qui post Apollinarem, Severum præcessere. Id suadere videtur tum Agnelli de ea re silentium, tum narrationis modus, quo id primum accidisse innuit. Clarius Luidolphus nonnihil loquitur contra communem sensum, narrans, descendente columba super caput Severi, aliquos eum dignum Sacerdotio habuisse, alios secus, qui etiam illum extra Ecclesiam expulerint, nec descensui secundo columbæ obediverint, sed expectaverint signum demonstrari. Quomodo enim hæc ita accidere potuissent, si apud Ravennates compertum ex Prædecessorum Pontificum electionibus fuisset, Virum à Deo Pontificem designari, super cuius caput columba apparebat?*

E **II.** Agnellus tamen ipse videtur rem consuetam indicare, quod columba visibiliter super caput eligendi

(1) forte truncatur. Bacchi: